



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Obitus Sanctorum vt non sit nimiè plorandus: in omni desolatione vtî Deo
innitendum: amor noster vt à creaturis sit ad Deum transferendus: corpus
vt sit discretè regendum: lachrymis nimijs atque ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Sihæc præscripta tuam non iuuerint deuotionem, alio te potes modo in Dominicæ Passionis exercitio excitare: verbi gratia, vt ad potiores articulos Dominicæ Passionis hoc modo meditans, ingemiscas. Ingemisce primo, quod tam innocenter Dæus Dei filius, Dominus Iesus tam innumera, tam crudelia & tam dura patitur. Ingemisce iterum, quod tam mansuetè, & ex tam ingenti charitate patitur. Ingemisce tertio & erubescè, quod pro tam vili tamque indigno patitur. Ingemisce quarto, erubescè & plange, quod pro tam ingrato ac contumelioso patitur: puta qui beneficium non solum non agnoscit, sed impudens etiam contemnit: hoc est, qui pro amore contemptum, pro fidelitate iniuriam, pro beneficijs denique peccata & offensiones retribuit. Vale filia & Deum sponsum tuum pro me orare velis.

Obitum Sanctorum vt non sit nimie plorandus: in omni desolatione vt Deo innitendum: amor noster vt à creaturis sit ad Deum transferendus: corpus vt sit discretè regendum: lachrymis nimis atque maxore cur sit abstinentum.

Epistola LXVI.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS.
Sorori & in Christo filia charissimæ Gerdiudi, Iesu ancillæ.

Veræ charitati hoc arbitror esse amicam ac propriam, filia charissimæ, aliena haud secus, atque sua curare. Consideranti itaque mihi luctum tuum, duplex oboritur materia condolendi. Prima quod, quam in Christo verè diligo, audio tristem. Altera, quod hæc tristitia non vsquequaque sit secundum Deum, vt pote inutilis, onerosa ac periculosa. Fles enim matrem tuam spiritualem simul ac meam, virginem deuotissimam deditissimamq; Deo, à me & plerisque multis in corpore adhuc nobiscum degentem veneratam, sanctam (licet facie tenus mihi ignotam) ex hac luce nobis subtractam, idèq; multis iam mensibus.

Veræ charitatis officium quod sit.

O charissima soror, non amifisti, sed iam primum inuenisti matrem. Quæ tum beata modo cum Christo coniunctione lætetur, impium est ac planè iniuriosum, pro eius migratione flere, atque idèd tristari. Cum verò perfectissima iam plena sit charitate, fide, pietate beneuolentiæq; ad suos, longèque plus nunc, quam ante valeat ante Deum, perinde stultum est te derelictam ex eius obitu æstimare. Porro, quod tam dulcis tamq; amica eius fuit consuetudo, vt hac carere molestissimum sit, non minus puerile est flere: propterea quod spiritualis ad omnium huiusmodi resignationem paratissima esse debeas. Multis autem mensibus flentem, & vel tacendo querulam nescio mortificatam dicere. Putabam te charissima magis fuisse resignatam, quando quidem nihil illi, quam diligis mali, nihil tibi (si verè secundum spiritum sapias) incommodi, sed vtri que bona spiritus hoc casu accidisse certum est.

Obitus Sanctorum vt non sit nimie plorandus.

Necessarium igitur est vt temetipsam exeas, relinquant, & delectationem hanc quamlibet spiritualem ex ea habitam, spontè resignes, id est, amittas Phil. 4. propter

Etiā spi-
rituali con-
solationi
renunciādi
vt sit.

Vt in omni-
moda delo-
latione ma-
gis Deo in-
nuēdam sit.

Quantum
profi: sui
reſignatio

Christi prae-
ſentia vt
discipulis &
vili. & no-
xia fuerit.
Ioan. 6.

Ioan. 16.

Amor no-
ſci enim
eig. ſanctos
homines vt
ſi in Deum
transferen-
dus.

propter Deum. Oportet diſcas abundare & penuriam pati: donari, & rurſus priuari, ſemperq; contenta ſtare ad voluntatem Domini.

Operæpretium foret (ſi ad internam pacem cupis venire) libenter velle dereliſtam te eſſe, aut ſaltem patienter, ab omni huiusmodi conſolatione, quamuis ſpirituāli, & alioqui vtili, inniti ſuper Deo ſolo, bono ac optimo, & nullibi alias inhærere. Nec tamen omni conſolatione propterea es deſtitutēda (tamenſi ſpirituālis ab hominibus deſit) quin potius magis à Deo conſolaberis, ſi humanarum ſubtractionem æquanimiter tuleris. Qui ſi etiam ipſe ſuam ſubtraxerit, aut ſubtrahere niſus fuerit conſolationem teq; proiciere, & tentationibus, triſtitijs, opprobrijs, perſequutionibus, internis & externis pugnis exponere: nihilominus, immò tanto magis illi inhærere debes, quanto magis tunc eius protectione & gratia te ſenſeris indigere. Nec propterea, ſi non ſenſibilem conſolationem ac deuotionem, ſi pro amore ſenſibili ariditatem præſurasq; varias & tentationes ſenſeris, debes æſtimare omnia perdiſta eſſe, aut velle deſperare, ſed fidelis per omnia permanere, illi adherere, in ipſum ſperare, ipſum inuocare, in ſilentio eius ſalutare præſtolari.

Hic enim verè datur occasio benè merendi, hic inſtat occasio fidelitatis & veræ amicitia: perſeuerantiæq; probandæ, qua fideles ab infidelibus diſceuntur. Si ita feceris, Deo ſemper reſignata expectans & recipiēs, ad beneplacitum eius, omnia de manu ipſius, plus proficies in virtutibus & amore Dei, licet inſenſibiliter forſan, quam ſi viginti haberes magiſtras, quæ ſer nonibus te conſolarentur.

Non tamen dico magiſteria & hominum amicorum Dei conſilia abiiciēda (quaſi ſine illis melius habeamus Deum eruditorem, quin potius dico, q;renda, audienda & Deum in illis conſulendum. Fit autem ſæpè vt quod primo incipientibus eſt neceſſarium, poſtea proficientibus fiat impedimentum. Neque enim idēo diſcipulis non fuit neceſſarius Chriſtus ad eruditionem, quia inſtructis iam expediebat ad profectum maiorem, vt iterum ſubtraheretur. Itaq; ſi tibi quoq; Deus ſubtraxerit magiſtram, ex qua Deum didiſti diligere, non te dereliſtam, ſed magis à Deo ad ſe vocatam tractamq; putet. Idēo non obſiſtas, ſed perſiſte illum tecum, vt vult, agere. Tu reſignata te relinquant illi.

Quomodo non es memor chariſſima filia quod iam pridem eadem tibi præſcripſerim, cū pia mater adhuc viueret, non adēo vehementer tritandū aut de eius migratione inſtante deſperandū: cū expediens neceſſariumq; futurum ſit tibi, vt talis conſolatio adhuc carnaliter ſpirituāli ſeu ſenſuali ſubtrahatur, quam in præſentia habebas matris? quandoquidem diſcipulis Chriſti præſentia ſaluatoris neceſſario fuit ſubtrahenda, vt ſpirituāles eſſicerentur, diſcerentq; amare ſpirituāliter, non carnaliter Chriſtū. Ita tibi expedit, vt ſpiritum tuum ſurſum ad Deum ſecum emigrans ad coeleftia pia mater ſuſtollat, vt ex ſenſualitate venias ad rationalem amorem, & iam non Gertrudem, ſed Deum contempleris. Ante quidem incurſi ſumus per ad matrem, idēq; laudabiliter: nunc verò compelleris clamare ad Deum. Num ſemper parvula vis manere? Vſquequo puella es? Vſquequo lacte tibi opus eſt? Quando ſolido cibo veſceris? Hei cum puerilibus illis lachrymis.

Elifa.

Elisabeth sancta, cuius vita omnis miraculi plena est, cuius vti nam nos vestigia vel vtrunque imitari possimus, eiq; aliqua ex parte conformari, cum maritum reciperet defunctum (quo nil in in terris habuit charius, quo etiam ad opera multa bona atque ad miserationis magnæ exercitia eius largitate vsa fuerat, quæ per mortem eius deciderant) tam leuiter planxit, vt mortem eius optasse potuisset videri, atq; adeo resignata vt Christo diceret, si maritum (quem præcipuo inter omnia mundana stringebat amore) hunc optimum etiam vno capillo capitis potuisset ad vitam redimere, citra voluntatem Domini, noluisset. Ita autem se post mortem mariti habuit, vt vnde eius sanctitas decreuisse possit putari, inde vehementius ceperit augeri. Eam ob rem ne vlllo vel materno impediretur affectu, filiorum affectum à se petijt & impetrauit auferri, quo totum posset cor Domino offerre, ne aliter suos diligeret filios, quam cæteros, sed Deus ipsi omnia esset in omnibus. Iam videor mihi audire te obijcientem, iustam plangendi causam, quod mater magni profectus causa fuerit, &c. quippe quæ verbo & exemplo te solita sit edificare. Credo sanè, imò & scio vtilem tibi fuisse. At (si vis) cum Christo tibi futura est vtilior. Transitus eius occasionem tibi proficiendi & paritur à sensuali ad spiritalem vitam transeundi præbebit.

Audi tamen quæso soror dulcissima, citra Deum non fuit tibi vtilis. Quicquid virtutis, quicquid deuotionis, quicquid deniq; boni in te operata est, non ipsa, sed Dominus per eam operatus est. Qui cum vult, per quos vult, quibus vult quantum vult, & quando vult, operatur. Per Gerdrudem matrem, certè multa operatus est. At illa defuncta num desinet operari? An sine illa Deus nihil poterit? Nunquid opera Dei & voluntas eius non perficiuntur? Si fabro vnus destruitur maleus, alium subrogat. Quæ Deus per Gerdrudem etiam sine Gerdrude potest operari. Quanquam & hodie per illam non minora, quam olim operetur: alio tamen modo. Sed dicis: Non sentio. Ante iam dixi & nunc repeto. Non omni tempore in sensu & sentimentis, id est, in deuotione sensibili, sed in ratione potius standum est. Non vnã tantum, sed plures habet vias Deus, quibus ducat. Et reuera licet amor Dei, virtutes, & eiusmodi, quæ nos Deo commendant, eadem sint in singulis Sanctis (nulli namq; horum aliquid necesse est deesse) modus tamen ad proficiendum in virtutibus, via atq; exercitia non apud omnes sanctos vniformis est, sed penè singulos quosque aliter & aliter trahit & disponit Deus, vt mira quædam ambulandi, mira proficiendi sit inter sanctos varietas: finis tamen omnibus vnus, consummatio charitatis.

Via hæc quam cum matre ambulasti, ex quadam sui parte finita est. Deus iam longè melius te docebit, facilius & celerius, quam pia mater Gerdrudis, modo te ipsam illi relinquant atque confidas.

Itaque charissima soror, depone omnes has phantasias, & inanes ploratus. Bonè est illi, nec desenda est. Porro si ad Deum spem omnem transtuleris, non poterit tibi malè esse. Timeo hunc fletum continuum non ex Deo esse, sed machinam quandam diaboli, qua sub specie pietatis te tenet, quo te faciat in seruitio Dei ineptiorem. Vt lachrymis occupata, tristitijs & mœrore perturbata, cerebrum exinanito impediaris in spiritualibus, alijs longè vtilioribus exercitijs, vt tædio affecta fastidias cuncta, efficiaris tristis, amara,

Ee impla-

S. Elisabeth
vt a se filio-
rum amorē
perierit au-
ferri.

Deus vt pec-
catis suos
operetur.

Vt rationi
potius quā
sensibili deu-
otioni stu-
gendum sit.

Sanctorum
vt diuersa
exercitia,
vnus sit sco-
pus.

implacabilis, impatiēs, scrulosa, & melancolica, vt ad capitis destructionē infirmitatēq; per indiscretionē te inducat: illucq; tādē peruenias, vt infirmato capite, debilitatis interioribus sensibus, exhaustis viribus, (quæ tamen omnia vix aut omnino non sentiuntur, donec iam incideris, & sola desperatio recuperandi remedium est) cogaris, aut ex toto te destruere, aut ab omnibus exercitijs bonis cessare: solaq; cogitatio aliquid meditandi aut orandi caput affligat.

Corpus vt sit regendu.

Charissima filia, præceptum habes à Deo regendi, non destruendi corporis: quippe cum nihilo secius corpus, quàm anima custodiæ tuæ mandatum sit, quod tua cura (quantum in te est) sufficere queat vel viginti vel triginta vel quotquot Deus voluerit, annis in vinea eius laborare, & facinam portare, quam ipse imponit. Ancillam Domino, id est, teipsam seruitio diuino non licet subripere, quanto minus destruere, aliosq; Domino seruire cupientes ab eius iugo (nam te corruisse videntes, iugo Domini, non tuæ indiscretioni causam malè imponerent) suscipiendo absterre? Animaduerte fructus lachrymarum & continuati luctus, credo plus impedimenti quam profectus reperies. Adde quod ex hac tristitia in aliam pessimam timoris & pusillanimitatis (quæ grauissimarum plenarum periculis tentationum mater est) facile labi posses: Vnde inquietudo mira cordis & conscientia oritur.

Nimix lachrymarum & mæror vt sint fugienda

Quapropter consulo tristitiæ resistendum, haud secus atq; alteri cuiusdam tentationi. Cogas te ad alacritatem spiritus, gratias agens Deo, qui amicam suam ad se vocauit, omnia eius desideria satiendo. Confido autem in Domino, haud necessarium fore excusare hanc meam scribendi præsumptionem, cum non clam te sit, charitatem semper & benè niti operari, & melius velle, quam cupio semper ostendere, tamen si non sit necessaria tibi. Scripsi igitur aut aquam puteo infundere, aut soli facem apponere gestiens: Haud quaquam tamen prorsus inutiliter humilitate tua ex omnibus in melius proficiente vale igitur, & ita viue, vt alijs quoque non iniucundum sit tecum viuere. Incivilis est homo qui cunctis onerosus est, cuius nemo libenter vtitur consuetudine, vt sunt tristes & quærulosi. Iterum vale.

Incivilis qui tuam sit.

Afflictiones quo animo ferenda, præcipue quæ ex suscepto monastica instituto exoriantur: confessiones clancularia quæ faciendæ: cibus potusq; quo pacto sumendus: vitæ nature debilis & agra succurrendum.

Epistola XLVII.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS. filia suæ & sorori charissimæ N. in Christo Iesu consolationem, metisque ac corporis sospitatem.

LEgi literas tuas filia in Christo dilecta, quibus si quid post hac consolatorium respondere potero, faciam haud agrè propter Deum: maxime quando animaduerto pium te erga Dominum cor gerere, & bona esse præditam voluntate. Primò quidem filia charissima concinniti debes, vt ob confessionem, aut susceptum monasticum institutum, aut eos qui confessiones recipiunt, nulla tristitia afficiaris. Discar omnia accipere è manibus Domini, qui sic ea ex omni æternitate præordinauit, tanquam tibi vtilissimum sit eiusmodi statum, cœnobium, & superi-